



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Qua ratione bona dicuntur esse in Deo & non mala. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

ret? Alibi propheta, Quia neq; ab oriente neque ab occidēte deest. Quod exponēs Cassiod. inquit. Neq; à bonis, neq; à malis deest Deus: sed omnib. præiēs & cognitor est. Cognoscit ergo Deus & bona & mala, per scientiam: sed bona cognoscit etiā per approbationē, & per beneplacitum: mala vero non. Vnde Cassiod. super psalm. dicit, Peccata abscondita Deo sunt, quia non nouit, id est, approbat. Et ex eo sensu Aug. dixit ei abscondita à lumine Dei. Qui etiā in lib. ad Heluidiū insinuat cognitionē Dei variis modis accipiendā. inquit. Si ad scientiam referas, non ignorat De⁹ aliquos vel aliqua: qui tamē in iudicio quibusdam dicit. Non noui vos, sed eorum improbatio hoc verbo insinuata est. Ecce non cognoscere dicitur Deus, quæ nō approbat, quæ ei nō placēt. Apparet itaq; verum esse quod diximus, scilicet quia quodam modo cognoscit Deus bona, quo non cognoscit mala. Pariter quidem vtraque eodem modo noscit, quantum ad notitiam: sed bona, etiam approbatione & beneplacito cognoscit.

Hic aperit quare bona tantum dicantur esse in Deo, & non mala.

C ET inde est, q̄ bona tantum dicuntur esse in Deo non mala, & illa prope. hæc longè: quia licet in Deo aliqua dicantur esse propter cognitionis præsentiam, & Deus bona & mala cognoscat, mala tamē nō cognoscit nisi per notitiam. bona verò non solum per scientiam, sed etiā p̄ approbationem & beneplacitum. Et ob talem cognitionem aliqua dicuntur esse in Deo, scil. quia ita ea scit, vt etiam approbet & placeant, id est, ita scit, vt eorum sit auctor.

Quod idem est omnia esse ex Deo, & per ipsum, & in ipso.

D PROINDE si diligenter inspiciamus, idem videtur esse, omnia esse ex Deo, & p̄ ipsū, & in ipso.

O 3 Vnde

*Cassiodorus
aduersum
6. Psalm. 74.*

*Cassiodorus
aduersum
Psalm. 10.
Aug. epist.
102. ad E.
uodum non
longè à prin-
cipio 1. 1.
Mat. 7. d.*

Rom. 11. d.